Præfatio Authoris ad Lectorem.

VUlgatißimum eſt hodiè, Benevole Lector, opinari, Juris Publici peritiam ab uſu Comitiorum unicè petendam, aut hinc certè ita excolendam, ut niſi qui interfuerit illis, nemo de iſthâc materiâ ſentire ſcribere, vel diſſerere, accurati quippiam ſciat. Ego ut Comitialibus occupationibus ſuam haud denegandā laudē cenſeo, ita ſentētiæ iſti receptiori, quâ juris publici cognitio, Comitiorum conſultationibus præcisè mancipatur, calculum meum adjicere haud quaquā poſſum, idq; præſertim duplici de causâ, primò quia hi præcæteris liberum animum & ad publicam utilitatem undiq; æquabilem, hoc eſt nec Imperatoris partibus, nec Statuum juribus, hujusvé aut illius Collegii ſpeciali præeminentiæ dignitati vel conditioni, amplius vel minus juſto devinctum gerere poſſē videntur, quos nulla